



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1100. Usque Ad Annum 1143

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1762**

**VD18 90117999**

§. 19. Eadmerus Archiepiscopus S. Andreæ eligitur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66385](#)

§. XIX.

Sæcul. XII.

A.C. 1120.

*Eadmerus Archiepiscopus Sancti Andreæ eligitur.*

Eodem anno millesimo centesimo vigesimo Rudolphus Archiepiscopus Cantuariensis, ex Normannia in Angliam redux, Legatos Alexandri Regis Scottiæ excepit, afferentes epistolam, qua rogabatur in Scotiam mittere Eadmerum monachum, in Sede Episcopali S. Andreæ, jam diu vacante, collocandum. Credidit Archiepiscopus, Divino nutu Eadmerum vocari, quem non modo Episcopatum non ambire, sed ne quidem cogitare, certissime noverat; quippe Eadmerus Rudolpho Archiepiscopo, sicut antea Anselmo, semper ab obsequiis fuerat. Eum itaque, impetrata a Rege Angliæ licentia, in Scotiam dimisit; cumque illuc ad Regem pervenisset, a Clericis populoque illius Regionis Episcopus ad S. Andream, consentiente Rege, electus est; verum nec pedum, nec annulum ab eo accepit, nec homagium præsttit. Sed altera die cum Regi dixisset, redditum se esse Cantuariam, ut ibi ab Archiepiscopo consecratur, quod illa Ecclesia Primatum in tota magna Britannia teneret, loquentem Princeps offensus reliquit, dicens, se passurum non esse, ut Ecclesia S. Andreæ Cantuariensi Archiepiscopo subjiceretur.

Mox



Sæcul. XII. Mox etiam Guilielmo S. Edmundi Mona-  
A.C. 1120. cho præcepit, ut sicut antea, dum vaca-  
bat, rem temporalem hujus Ecclesiæ cu-  
raret, sicque Eadmerum, quem pau-  
lo ante investierat, spoliavit. Ela-  
pso tamen uno mense eidem Episco-  
patum & Regimen Ecclesiæ Scotiæ redi-  
didit; tuncque Eadmerus Pedum pa-  
storale de Altari, tanquam de manu Dei,  
tulit.

Inter hæc Turstainus, Archiepiscopus  
Eboracensis in Regionibus transmarinis  
versatus, & ad impetrandam restitu-  
tionem intentus, cum sibi jus esse Episco-  
pum S. Andreæ consecrandi existimaret,  
datis ad Archiepiscopum Cantuariensem  
literis, ne eum ordinaret, atque ad Re-  
gem Scotiæ, ne id fieri pateretur, postula-  
vit. Quæ dissidia haud parum auctori-  
tati Episcopi Neo-electi nocuerunt, &  
Regis Scotiæ animum exacerbarunt. Un-  
de intelligens Eadmerus, operam suam,  
Rege offenso, in hoc Regno nihil esse  
profuturam, Cantuarium redire statuit,  
Archiepiscopi & amicorum consilium ex-  
quisitus. Verum abeundi licentiam  
Rex denegavit: affirmabat enim, Re-  
gnum suum nullatenus Ecclesiæ Cantua-  
riensi subesse, sibique petenti, Eadmerum  
ab omni illius Ecclesiæ Jurisdictione libe-  
rum fuisse transmissum. Unde Eadme-  
rus Episcopum Glascoviensem, duosque  
monas-

monachos Cantuarienses, itineris ex An-<sup>A C. 1120.</sup> Sæcul. XII.  
glia in Scotiam socios consuluit. Qui,  
explorato Regis animo, dixerunt: *Nun-*  
*quam pacem habebis, regnante hoc Princi-*  
*pe, perspecta nobis est ejus indoles, solus*  
*omnia esse vult in Regno suo, alterius po-*  
*testatis cujuscunque impatiens. Odit te, ne-*  
*scius cur oderit, nec ulla spes est, te unquam*  
*simpliciter in gratiam redire posse. Ergo*  
*vel tibi hic omnia relinquenda sunt, vel*  
*vita inter Scotos probrofe transfigenda, eo-*  
*rum consuetudines, contra Salutem animæ*  
*tuæ, erunt approbandæ. Sed abire Rex*  
*nunquam permittet, nisi ei annulum & Pe-*  
*dum reddideris.* Eadmerus alterum eo-  
rum, quæ suadebant, faciendum sibi ra-  
tus, reddidit Regi annulum, quem de  
manu ejus acceperat, & Baculum super  
Altare, unde eum tulerat, reposuit. Ita  
reliquo Scotiæ Regno Cantuariam rever-  
tentem Archiepiscopus & monachi maxi-  
mo amicitiæ affectu complexi sunt.

§. XX.

## *Concilium Naplusinum.*

Interea Regnum Jerosolymitanum, jam  
quadriennio multis calamitatibus pres-  
sum, præsertim a locustarum inexpugna-  
bili multitudine & fame vexabatur, qui-  
bus malis ut mederentur Gormundus Pa- *Guil. Tyr.*  
triarcha & Balduinus Rex Comitia gene-  
ralia Prælatorum & Principum hoc an-